

HEINRICVS ARNOLDI CARTHVSIVS
Basiliensis.



HEinricus natione Saxo tempore Concilij se-
se Basileam contulit, ut suis studijs & labori-
bus rem Christianam adiuuaret. erat is ingenio cla-
rus, affectu syncerus, moribus grauis, eloquio dul-
cis, conuersatione affabilis, exemplo illustris, atq[ue]
sacrarum literarum & iuris cognitione conspicu-
us. Itaque cum eius indoles patribus Concilij in-
notuisset, Concilij Notarius publicus electus est.
eo officio cum multis annis fungeretur, ab omni-
bus fidelis, iustus, & prudens deprehensus est. Hic
tandem cum in hoc mundo magnus esse posset, om-
nia uanitatem esse cognouit, atque Carthusia-
norum uitam elegit. Itaque Basileæ à monachis re-

ceptus, tandem uirtutibus exigentibus Prior eiusdem domus electus est. Ibi
multis annis monachos cæterosq[ue] conuersos paterno amore profecutus, ma-
gna pace & tranquillitate gubernauit. Scripsit is interea Euangelistarum con-
cordantias, De humilitate, de conceptione Mariæ, de cruce, de charitate, Hi-
storias sanctorum & Chronica domus Carthusianorum Basiliensium. Tan-
dem ætate grauis anno 1487 feliciter ex hac uita migrauit. Trit.